

audiebantur. Enim vero difficultatibus, in quas Thomas Contarenus inciderat, mirum in modum Patres commovebantur; quod insolentiores, secus ac putaverant, hostes offendisset; nimiumque graves, atque acerbis conditiones pacis proponerent; prosperoque rerum eventu elati, legatum, quem summis honoribus adventantem exceperant, re infecta, neque expectatis Senatus literis, abire imperassent.

Hoc rerum statu, atque animorum hæsitazione Cæsar Cantelmus, qui superioribus mensibus Byzantium profectus, in Galliam reversus, Regem de iis, quæ agerentur, docuerat, Byzantium rursus proficisci iussus est. XV. kal. octob. cum Venetias accessisset, Patrum Collegium adiit; seque in mandatis a Rege habuisse nuntiavit, ut pro communibus induciis perficiendis diligentiam omnem, ac studium adhiberet: quod si ulla in re Senatus benevolo illius animo, atque opera uti vellet, quæcumque in se forent, Regis nomine Reipublicæ deferret. Coacto Senatu, quid Cantelmio responderetur, variis sententiis, ac disceptationibus actum est: majori Præconsul-torum numero, inter quos Philippus Tronus continentis Sapiens, Sebastianus Foscarenus doctor, Franciscus Donatus eques, d. Marci procurator, Consilii Sapientes erant, sigillatim de conditionibus, quæ a Bassis proponebantur, Cantelmio admonito, id adjungi placebat, ut nisi inducias, quarum causa proficisceretur, impetraret, controversiarum, quæ Reipublicæ cum Suleimano intercederent, definiendarum provinciam susciperet. Hieronymo Grimano, Matthæo Dandulo continen-tis, Marco Antonio Cornelio Consilii Sapientibus, Turcarum postulata rejici prorsus placebat; ut enixe pro induciis, quæ foederatos omnes complecterentur, una cum Rinconio Cantelmus laboraret; sed illarum spe abjecta, æquioribus conditionibus de concordia cum Republica ineunda deinceps ageret. Franciscus Superantius continentis Sapiens, ut cum literis nuntius ad Thomam Contarenum legatum mitteretur, censebat, quibus consistere juberetur, atque Byzantium certos homines mitteret, qui se nova a Senatu mandata habuisse Bassis significarent; proinde se, ut rursus de pace negotium institueret, rediturum. Laurentius Contarenus, & Laurentius Donatus ordinum Sapientes ad Senatum tulere, ut simul cum Gallo unus

1539

*Cæsar Cantelmus Byzantium profecturus, suam operâ Reipublicæ defert.*

*Senatus diversæ sententiæ de Cantelmio respondendo.*